

OBSERVATIONES
DE
1757
PRIVILEGIO DOLORIS

AD L· XXXIV· PR· D· DE TESTAM· MILIT

OVAS

P R A E S I D E

CHRISTOPH· LVDOV· CRELLIO IC^{TO}
POTENTISSIMI REGIS POL· ET PRINC· ELECT· SAXON
CONSILIARIO AVLICO CODICIS PROFESSORE
PVBLICO ORDINARIO CVRIAЕ PROVINCIALIS
NEC NON CONSIST· ECCLESIAST· ET SCABIN· ASSESSORE
ITEMQUE ORDINIS IVRIDICI SENIORE

DIE X. DECEMBERIS

A· Q· S· P· E S T c I o I o c c L V I I

IN AUDITORIO ICTORVM

DEFENDENTS

CHRISTIANVS ERNESTVS BAVERVS

FRISDORFIO-MANSFELDENSIS

KITTEMBERG & E.

EX OFFICINA IO: SAM: GERDES.



I

Eleganter PLINIVS noster: HOMINIS esse, ait, DOLORE affici, illumque sentire, sed eidem tamen resistere et solatia admittere, cum illud sit supra hominis conditionem, SOLATIO non egere ^{a)}

a) PLIN. Lib. VIII. Epist. XVI. in fin.

II

Enim vero DOLOR, de quo loquimur, est commotio animi, erra ex sensu mali et incommodi, quod patimur. In qua re inest hoc BENEFICIVM naturae, quod sensu DOLORIS admoneamur de magnitudine periculi, in quod delapsi sumus, et acuatur ingenium, ^{a)} ne, segnitie et levitate quadam animi, contemnamus mala nostra erincommoda, quibus vires nostrae debilitantur, et rationes istae, ad quas procurandas procreati sumus, perturbantur; sed ut discamus vulneri non prorsus immedicabili medicinam et fomenta adhibere, denique ut ab illis, quae vere nocua sunt, in posterum diligenter curatiusque caueamus.

Perfer et obdura: DOLOR hic tibi proderit olim ^{b)}

a) PLIN. Lib. IV. Epist. XX.

b) OVID. AMOR. Lib. III. Eleg. XI. v. 7.

DOLOR vel IMMEDIATE CORPVS afficit atque in nervis et articulis, quod SENECA ait, aliquique partibus exilibus inprimis consistit et saevit, per nervos ad caput peruenit et animum perturbat.^{a)} Hunc DOLOREM CORPORIS, seu EXTERNVM, appellamus. DOLOR ANIMI, seu INTERNVS, oritur ex via in imagine et recordatione MALI PRAETERITI et sensu iacturae, quam passi sumus; qua re mens nostra confunditur et ab officio suo auocatur

a) SENECA, Epist. LXXVIII.

CORPORIS DOLOR, si acerrimus est et summum gradum attingit, propter nervorum, qui conuelluntur, imbecillitatem, interdum speciem FVRORIS parit et cum rabie quadam coniungitur. Imperatores DIOCLETIANVS et MAXIMIANVS tractant de milite, qui nullius facinoris sibi conscientis, sed imparentia DOLORIS et FVRORIS quadam rabie constrictus, post conditum testamentum, se praecipitem dedit, atque ita exspirauit. L. 2. C. Qui testam. fac. poss. Hic igitur DOLOR cum FVRORE coniunctus, nulla hominis culpa interueniente, poenae humanae locum non facit, sed, propter fati inclemantium, miseratione non indignus est. L. un. C. Si quis imperat. maledix. Ideoque, cum ille, qui propter DOLOREM furit, nec intelligere nec velle censeatur, poenam effugiet. L. 17. §. n. D. de Injur. L. 40 et L. 124. §. 1. D. de Reg. iur. Certe PAVLVS, auctore DIVO HADRIANO, itemque DIOCLETIANVS et MAXIMIANVS censuerunt, testamentum illius militis valere, qui, post illud conditum, DOLORIS acerbitate et FVRORE mori maluit; L. 34. pr. D. de Testam. milit. L. 2. C. Qui testam. fac. poss. cum generaliter FVROR testatoris superueniens testamentum antea rite conditum non infirmet. §. 1. I. Quib. non est permitt. fac. testam. L. 20. §. 4. D. Qui testam. fac. poss.

V
Etiam quadrupedibus animalibus, si, DOLORE CORPORIS concitata, pauperiem fecerint, et domino illorum datur DOLORIS EXCVSATIO, ut actio de pauperie locum vix inueniat. Neque enim equus, CONTRA NATVRAM fecisse, iudicatur, si, DOLORE concitatus, calce petierit et damnum dederit IMPATIENTIA DOLO-
RIS. L. i. §. 7. D. Si quad. up. pauper. fec. dic. Neque refert, vtrum VLPIANVS dicta lege equum DOLORE, an DOLONE, concitatum commemorauerit; cum equus DOLONE, h. e. stimulo acuto et occulto tactus, DOLORE vulneris aut cutis irritetur ^{a)}

a) vid. BRISS. de Verb. Sign. voc. DOLON. GERARD. NOODT. in Commentar. ad Pand. Lib. IX lit. I. p. 226.

VI

Qui vulnere inflito, aut verberibus effecerunt, vt laesi etiam CORPORIS DOLORES paterentur, apud Saxones tenentur laeso DOLOREM, DATA PECVNIA, pensare. Sie sind dem Denuncianten die verursachten Schmerzen mit Athlen zu verbüßen schuldig. Romani quidem censuerunt, CORPVS LIBERVM eiusque DOLORES aestimari non posse; L. i. §. 5. D. de His qui effud. Ideoque GAIVS duntaxat IMPENDII ET DAMNORVM, quibus patrimonium immunitur, rationem habuit, in condemnatione eius, qui iniuriaram fecit. L. 7, eod. L. 3. D. Si quadrup. paup. fec. Sed augentur IMPENDIA curationis, propter DOLORIS acerbitatem, cui fomenta adhiberi debent. Praeterea GAIVS, in condemnatione etiam OPERAS, quibus quis caruit, aut cariturus est, non negligendas esse, iudicauit. Sed DOLORES magis impedimento sunt operis, quam sensus plague cito transitus; ideoque videtur GAIVS DOLORES non prorsus neglexisse, in aestimatione iniuriae. Quamvis enim homo ingenuus corpus liberum pro mercede plagis non

◆ ◆ ◆

Subiecturus sit, tamen satius est, laesum DOLORES suos, compendio quodam et PECVNIA, consolari, quam romana animi magnitudine DOLORES perferre et praeterea etiam PECVNIA egere

VII

DOLOR IVSTVS et VERVS dicitur ex CAVSSA, si commoueantur sensu veri incommodi, quod naturaliter et ex causa idonea omnino auersamur. Eleganter igitur PLINIVS IVSTM DOLOREM appellat luctum patris ob filiam amissam.^{a)} Et CONSTANTINVS, patri, fratribus et cognatis foeminae, vim passae, accusationem adulteri prae reliquis concedendam esse, censuit, cum illos quidem VERVS DOLOR ad accusandum impellat. L. 30. pr. C. ad L. Iul. de Adult. Hinc MARITALIS DOLOR ab Imperatore GORDIANO in primis IVSTVS censetur, quem ex vxoris adulterio concepit. L. 15. C. ad L. Iul. de Adult. GAIVS, maxime liberorum iniuriam ad IVSTM parentis DOLOREM porrigi et ab illo vindicari posse, ait, cum ipsa natura liberos parentibus commendet. L. 2. D. de Liber. cauß. Ob IVSTM hunc DOLOREM PAVELVS parentibus poenam mitigat, non prorsus remittit, si liberos delinquentes occultarunt. L. 2. D. de Recept. Immo vero puniuntur parentes, qui in raptu filiae, intempestiva patientia, iustum dolorem et vindictam remiserunt. L. 1. §. 2. in fin. C. de Rapt. Virg. Optime PLINIVS obseruat, in DOLORE iudicando referre, ob quam CAVSAM quis doleat^{b)}

a) PLIN. Lib. V. Epist. XVI.

b) ID. Lib. IX. Epist. XIII.

VIII

DOLOR igitur ortus ex incommodo, quod NATURALITER auersamur, VERVS et IVSTVS est, et manet IVSTVS, quamdiu MEDIIS LICITIS et INNOXIIS utimur, ad malum illud declinandum. Contra, qui animo imperare non possunt, et vela dant DOLORI; ideoque

ideoque MEDUS omnibus, etiam PROHIBITIS et magis NOXIS vtuntur,
DOLORIS IMPATIENTIA delinquere dicuntur. L. 38. §. 12. D. de Poen.
L. 3. §. 6. D. de Bon. eor. qui ante sent. L. 34. pr. D. de Testam. milit.

VIII

IMPATIENTIA DOLORIS impunitatem non meretur. Qui enim CORPORIS DOLORE impulsi peccauerunt, excusationem quidem aliquam inueniunt, et mitiore poena merito plectuntur, sed poena tamen digni sunt. DOLOR enim subleuat poenam, non tollit. L. 4. C. ad L. Iul. de Adult. Haec IMPATIENTIA dicitur INCONSVLTVS DOLOR, quamvis quoad causam iustus sit, d. L. 4. C. ad L. Iul. de Adult. itemque INCONSVLTVS CALOR, quo quis ob iustum DOLOREM incitatus est. L. 1. §. 5. D. Ad SCtum Turpil. L. 5. C. de Injur. Etiam, qui MORI maluerunt IMPATIENTIA DOLO-
RIS, et tentauerunt sibi manus inferre, nec tamen flagitium illud perfecerunt, poenae extraordinariae subiiciuntur. ^{a)} Miles certe, qui mortem sibi consicere voluit, quamvis nullius sibi sceleris conscientia, cum ignominia mittitur, quod PAVLLVS docet. L. 38.
§. 12. D. de Poen. L. 3. §. 6. D. de Bon. eor. qui ante sent. Enim vero etiam illa, quae cum GEMITV fiunt, vt COMICI verbis vtar, non statim INTOLERABILIA videntur. Possimus dentes compri-
mere, animum spe consolari, aut certe spem vultu simulare, DO-
LOREM altissimum cohibere et ita durare, vt rebus secundis nos seruemus. ^{b)} DOLOR maximus nunquam diu in eodem vestigio persistit; cum ita nos amantissima natura disponuerit, vt DOLO-
REM aut TOLERABILEM aut BREVEM faceret. ^{c)} Quare notam le-
uitatis non subterfugiet, qui METV mortis mortem appetit ^{d)}

^{a)} MATTHAEI Comment. de Criminibus p. 479. STRYK. Vf. Mod.
Pand. Lib. XLVIII. Tit. XXI §. 3. p. 858.

^{b)} VIRG. Aeneid. Lib. I. v. 211. sequ.

^{c)} SENECA. Epist. LXXVIII.

^{d)} ID. Epist. XXIIII.

Qui DOLOR ANIMI commoti et iniuria provocati, neglecto
iudice, sibi ipsis ius dicunt et DOLORI incontinentius indulgent,
propter imbecillitatem, quam ratione subleuare debuissent, non
prorsus veniam impetrant, sed poena tamen afficiendi sunt. Ita-
que mitius agitur cum his, qui alapam illis confessim infligunt,
a quibus verbis aut factis laesi sunt. Wovon wir doch das Schlagen
mit der Hand, auf gleich immediate vorhergehende iniurien oder an-
dere Beleidigung, in Erwegung der Schwachheit menschlicher
Affection, in so weit ausgenommen haben wollen.^{a)} Qui alapae alapa-
respondent et mutua iniuria vlciscuntur iniuriam, remissa depreca-
tione et poena ordinaria, carcere duntaxat puniuntur.^{b)} Gen-
eraliter enim, secundum VLPIANVM, illis ignoscendum est, qui se
vlcisci voluerunt prouocati; L. 14. f. 6. D. de Bon. liber. quamvis
impunitatem sperare nequeant.^{c)}

a) Königl. Pohl. und Thürfürstl. Sachsl. Mand. wider die Selbst-
Rache, §. 16.

b) ibid. §. 11.

c) CARPZOV. Iurisprud. Crim. P. I. Quæst. 29. n. 30. MATTHÆUS
Comment. de Criminibus p. 146.



Widenberg, Diss., 1756-58


ULB Halle
003 608 042

3



LSb

B.I.G.



11. A4
1757 6
**OBSERVATIONES
DE
PRIVILEGIO DOLORIS**

AD L. XXXIV. PR. D. DE TESTAM. MILIT.

QVAS

PRAESIDE

CHRISTOPH. LVDOV. CRELLIO IC^{TO}
POTENTISSIMI REGIS POL. ET PRINC. ELECT. SAXON.
CONSILIARIO AVLICO CODICIS PROFESSORE
PVBLICO ORDINARIO CVRIAEC PROVINCIALIS
NEC NON CONSIST. ECCLESIAST. ET SCABIN. ASSESSORE
ITEMQUE ORDINIS IVRIDICI SENIORE

DIE X. DECEMBRIS

A. Q. S. P. EST cIc Ic cc LVII

IN AVDITORIO ICTORVM

DEFENDET

CHRISTIANVS ERNESTVS BAVERVS
FRISDORFIO-MANSFELDENSI

VITEMBERGAE

EX OFFICINA IO. SAM. GERDES I